

Probl. I.

An facultates animæ ad secundam speciem Qualitatis, an verò ad predicamentum substantiæ referenda sint?

Scheckius & multi recentiorum ad Substantiam referunt, ac distinguunt inter potentias seu facultates Physicas & Essentiales. Physicas esse tradunt, propter quas dicimur apti, & quasi nati ad hos vel illos habitus acquirendos: Essentiales verò naturam & Essentiam constituere, iccirco naturalem aptitudinem ad currendum Physicam potentiam, Facultates verò animæ essentiales esse dicunt. Illam ad secundam qualitatis speciem; has verò ad Substantiæ Categoriæ pertinere disputant. Sed verior est sententia, Esse eas qualitates secundæ speciei; quia nihil aliud sunt, quàm aptitudines quædam animæ in rebus animatis ad certas muneris functiones; ut facultas generandi est aptitudo animæ vegetatricis in corpore animato ad procreandum sibi simile, quæ etsi immediatè manat ab anima vegetatrice, vel ut à causa efficiente & principio: tamen re ipsa non aliter atque Qualitas à Substantia, & omne accidens Substantiæ oppositum ab ipsa Substantia distinguendum debet. Ad fundamentum Scheck. respondemus: distinctionem facultatum in Essentiales & Physicas in Categorijs non reperiri, & ut fortè aliunde Aristoteli extorqueri possit, tamen nihil ad rem facere; Quia etiam essentiales facultates Physicæ sunt, seu à natura insunt, nec nostro studio comparantur. Deinde non definit Aristoteles potentias naturales, quod sint qualitates, per quas apti sumus ad acquirendos habitus; sed quod sint aptitudines ad facilè operandum, cujusmodi etiam sunt facultates animæ. E. Qualitates sunt, præsertim cum ab illis qualia sub-
jecta